

CONTROVERSIARUM

DE VERBO DEI

LIBER QUARTUS

UBI DE TRADITIONE.

CAPUT I.

Qui potissimum defenderint vel oppugnaverint non scriptas Traditiones.

De verbo Dei scripto hactenus disserimus; nunc de Verbo Dei non scripto breviter disputare aggrediemur, si prius tamen in gratiam studiosorum annotaverimus, qui potissimum hoc sæculo de Traditionibus scripserint, vel certe quos ipsi legerimus. Nec enim omnes videre nobis licuit.

Igitur scripsit de hoc argumento præclare Cardinalis Hosius in IV lib. advers. Prolegom. Brentii; item Petrus a Soto in sua defens. advers. eundem Brent. par. II, a cap. 50. usque ad 66; Melchior Canus lib. III, De loc. Theolog., Martinus Peresius initio operis sui De Tradit., Jodocus Tiletanus in Apolog. conf. Kemnit. pro Conc. Trident., Alphonsus a Castro lib. I, cap. 5, sui operis contra hæres., et Episcopus Roffensis initio etiam sui operis cont. assert. articul. Lutheri; Doctores Colonienses in Exam. Catech. Monhem., in reprehens. VI, Dialogi; Petrus Canisius in suo Catechis. de præcep. Eccles., et Gulielmus Lindanus lib. V, sua Panop., Joannes a Lovanio in lib. De invocat. Sanct. c. 23, 24 et 25; Felicianus Ninguarda in assert. Fid. Cathol.; Caspar Cardileus Villalpandæus in lib. De Tradit.

Ex hæreticis præcipue contra Traditiones scripserunt Joannes Calvinus lib. IV, Institut. cap. 8, §. 6, 7, 8 et cap. 10, §. 48, 49, 20 et in Antidoto ad sess. IV, Concil. Trid.; Joannes Brentius in suis Prolegomenis contra Petrum a Soto; Martinus Kemnitius in libro quem inscripsit: Theologiæ Jesuitarum præcipua capita; et prolixissime in exam. Concil. Trid. examinans decretum de Traditionibus, quod habetur sess. IV; et quidam Hermannus Hamelmannus, qui nuper edidit ingens volumen contra Traditiones, quod divisit in tres libros Prolegomenorum, et deinde in tres partes operis præcipui, quarum quælibet multos libros habet.

CAPUT II.

Quid sit, et quotuplex Traditio.

Nomen Traditionis generale est, et significat omnem doctrinam sive scriptam, sive non scriptam, quæ ab uno communicatur alteri. Exod. XVII, *Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade in auribus Josue.* Actor. VI, lex Mosis scripta vocatur Traditio: *Audivimus eum dicentem, quoniam Jesus destruet locum istum, et mutabit Traditiones, quas tradidit nobis Moyses (1).* At I. Corinth. XI. *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidit vobis;*

(1) Exod. XVII, 14.; Act. VI, 14.

Traditio, vocatur doctrina viva voce exposita : et II. Thess. II. *Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam* (1).

Tametsi vero Traditionis nomen generale sit; tamen hoc ipsum nomen accommodatum est a Theologis ad significandam tantum doctrinam non scriptam. Sic Irenaeus : « Eventus », inquit, « neque Scripturis, neque Traditioni consentire eos (2) ». Tertullianus lib. De corona militis : « Si legem, inquit, expositules Scripturam nullam invenies, Traditio tibi praetendetur auctrix etc. (3) ». Cyprianus lib. II, ep. 3. « Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo Dominica Traditio servetur, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. » Quem locum falso Kemnitus exponit de Traditione scripta : nusquam enim in toto Evangelio aut epistolis Apostolorum scriptum est, ut calix mixtus vino, id est, vinum, et aqua offerantur. Ad eundem modum fere omnes Veteres nomen Traditionis pro non scripta doctrina usurpant; et hoc modo deinceps utemur hoc nomine.

Vocatur autem doctrina non scripta, non ea quae nusquam scripta est, sed quae non est scripta a primo auctore : exemplo sit baptismus parvulorum. Parvulos baptizandos, vocatur Traditio apostolica non scripta, quia non invenitur hoc scriptum in ullo apostolico libro, tametsi scriptum est in libris fere omnium veterum Patrum.

Est autem duplex partitio Traditionum : prior sumitur penes auctores Traditionum : posterior penes materiam. Prior est, in Traditiones Divinas, Apostolicas, Ecclesiasticas. Divinae dicuntur, quae acceptae sunt ab ipso Christo Apostolos docente, et nusquam in divinis Litteris inveniuntur : talia sunt ea quae ad materiam et formam Sacramentorum pertinent, pauca enim de his habemus in divinis Litteris, et tamen certum est, Sacramentorum essentiam non potuisse nisi a Christo institui. Propterea enim Apostolus I. Corinth. XI, loquens de Sacramento Eucharistiae dicebat : *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis.*

Apostolicae Traditiones proprie dicuntur illae, quae ab Apostolis institutae sunt, non tamen sine assistentia Spiritus sancti, et nihilominus non exstant scriptae in eorum epistolis : quale est jejunium Quadragesimae, et

quatuor temporum, et alia multa, de quibus postea. Solent tamen interdum etiam divinae Traditiones dici apostolicae, et apostolicae dicuntur divinae. Divinae Traditiones dicuntur apostolicae, non quod ab illis sint, cum ipsi seorsim eas a Christo accepissent : et apostolicae dicuntur divinae, non quod eas Deus immediate instituerit, sed quod non sine spiritu Dei eas Apostoli instituerint. Quo modo omnes epistolae Apostolorum dicuntur divinae et apostolicae scriptae, etiamsi quaedam in eis sint praecipua divina, et quaedam proprie apostolica, ut patet ex illo I. Corinth. VII : *Praecipio non ego, sed Dominus, et postea : Dico ego, non Dominus* (4).

Ecclesiasticae Traditiones proprie dicuntur consuetudines quaedam antiquae, vel a Praelatis, vel a populis inchoatae, quae paulatim tacito consensu populorum vim legis obtinuerunt. Et quidem traditiones divinae eandem vim habent, quam divina praecipua, sive divina doctrina scripta in Evangeliiis, et similiter apostolicae Traditiones non scriptae eandem vim habent, quam apostolicae Traditiones scriptae, ut in Concilio Trident. sess. IV, asseritur, et ratio est manifesta : nam verbum Dei non est tale, nec habet ullam auctoritatem, quia scriptum est in membranis, sed quia a Deo profectum est, vel immediate, ut sunt sermones Domini, vel mediantibus Apostolis, ut est decretum Apostolorum, Actor. XV. Neque hoc negant, aut negare possunt haeretici : nam, ut postea dicemus, non est quaestio, quanta sit vis divinae aut apostolicae Traditionis, sed in sit aliqua Traditio vere divina, aut apostolica.

Ecclesiasticae autem Traditiones eandem vim habent, quam decreta, et constitutiones Ecclesiae scriptae : nam etiam in Republica civili eadem vis est consuetudinum approbatarum, et legum scriptarum, ut patet distinct. I. canon. Consuetudo, et I. Diuturna, ff. de legibus.

Alterta partitio Traditionum est penes materiam, in Traditiones de Fide, et Traditiones de moribus, quae rursus aut sunt perpetuae, aut temporales, et vel universales, vel particulares, vel necessariae, vel liberae. Traditio de Fide est, quod B. Maria semper fuerit virgo, quod quatuor sint tantum Evangelia, etc. Traditio ad mores pertinens est, quod signum Crucis in fronte pingendum sit,

quod certis diebus jejunia, aut festa celebranda, etc.

Traditio perpetua est, quae instituitur, ut semper servetur usque ad Mundi consummationem, ut in exemplis positus. Temporalis est, quae instituitur ad certum tempus, ut observatio legalium quarundam caeremoniarum quae servanda erant usque ad plenam Evangelii promulgationem, ut facilius Ecclesia ex Judaeis et Gentibus coalesceret.

Traditio universalis est, quae toti Ecclesiae servanda traditur, qualis est Paschatis, Pentecostes, et similia magnorum festorum observatio, ut B. Augustinus docet epist. 118. Particularis est, quae traditur uni tantum, aut pluribus Ecclesiis, qualis erat tempore Augustini jejunium Sabbati, quod Petrus Romanae Ecclesiae tradiderat, et ab ea sola, et quibusdam aliis servabatur, ut Augustinus docet epist. 86. ad Casulanum.

Traditio necessaria est, quae traditur in forma praecipui, ut celebratio Paschae die Dominico post decimam quartam Lunam Martii. Libera est, quae traditur in forma consilii, ut aspersio aquae lustralis, et similia.

CAPUT III.

Explicatur status quaestionis, et mendacia quaedam adversariorum deteguntur.

Controversia igitur inter nos, et haereticos in duobus consistit. Primum est, quod nos asserimus, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam, sive de Fide, sive de moribus : et proinde praeter verbum Dei scriptum, requiri etiam verbum Dei non scriptum, id est, divinas et apostolicas Traditiones.

At ipsi docent, in Scripturis omnia contineri ad Fidem et mores necessaria, et proinde non esse opus ullo verbo non scripto. Lutherus in Comment. c. I. ad Galat. : « Neque alia, » inquit, « doctrina in Ecclesia tradi, et audiri debet, quam purum verbum Dei, hoc est, sancta Scriptura. Doctores, vel auditores alii cum sua doctrina, anathema sunt. » Joannes Brentius in Prolegom. cap. de tradit. : « Perspicue, » inquit, « significat Apostolus, quod nulla Traditio contra,

et praeter testimonia Scripturae agnoscenda sit pro dogmate necessario ad salutem. » Joannes Calvinus lib. IV Institut. c. 8, §. 8. « Esto igitur, » inquit, « hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod Lege primam, et Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur. » Martinus Kemnitus in Exam. Concil. Trident. sess. IV. saepissime repetit, hunc esse statum quaestionis, an Scripturae contineant omnia dogmata ad salutem necessaria, et se affirmare, nos negare.

Secundo dissidemus, quod illi existimant, Apostolos quidem quaedam insituisse praeter Scripturam, quae ad ritus et ordinem Ecclesiae pertinent, quae tamen non sint necessaria, nec praecipua, sed libera. Nihil autem tradidisse praeter Scripturam, ad Fidem aut mores necessario pertinens; id clare docet Kemnitus, cum agit de septimo genere Traditionum, et Calvinus lib. IV Institut. cap. 10, §. 20. Nos autem agnoscimus Traditiones apostolicas omnium generum, ut supra exposuimus.

Tertio dissidemus, quod illi putant Traditiones apostolicas, si quae fuerunt, nunc non exstare, id est, non posse certo demonstrari aliquam apostolicam Traditionem. Ita Kemnitus ibidem : « Nullis, inquit, certis et firmis documentis probari potest, qui sint ritus certo ab Apostolis traditi, qui ex Scriptura ostendi non possunt. » Nos e contrario asserimus, non deesse certas vias, et rationes, quibus Apostolicae Traditiones ostendantur.

Nunc antequam ad probationem veniam, pauca dicam more solito de contradictionibus et de mendaciis ipsorum. Brentius et Kemnitus locis notatis aperte dicunt, nihil posse aequari sacris Scripturis. Brentius sic ait : « Non contenti Scriptura divinitus commendata et confirmata, jactant Apostolos multa tradidisse posteris sermone, quae non minorem habent auctoritatem, quam quae scripto mandata sunt. » Kemnitus autem ait : « Insignis audacia est, majestati, et auctoritati Scripturae canonice aliquid aequare. »

At iidem fatentur Apostolos aliquid tradidisse praeter Scripturas. Brentius ibidem sic ait : « Negari non debet, nec potest, quin tam Christus multa dixerit et fecerit, quam Apostoli multa tradiderint, et instituerint, quae non sunt ab ipsis litteris comprehensa. »

(1) I. Cor. XI, 23.; II. Thessal. II, 14. — (2) Lib. III, Cap. 11. — (3) Cap. IV. — (4) I. Cor. VII, 10, 12.

Kemnitius autem sic ait : « Apostolos igitur ritus quosdam ordinasse et tradidisse Ecclesiis, ex scriptis ipsorum certo constat, et verisimile est, quosdam etiam alios externos, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse, etc. » Jam vero si non minor est auctoritas Apostolorum quam litteris mandantis, certe non est audacia, æquare aliquid non scriptum verbo scripto. Possumus enim ut minimum æquare ordinationem ritus externi ab Apostolis traditam cum simili ordinatione litteris mandata. Ipsi enim utroque modo fatentur Apostolos aliquid ordinasse. Cur ergo clamant insignem audaciam esse aliquid æquare verbo scripto?

Nunc ad mendacia veniamus. Commune est Calvino, Brentio et Kemnitio sæpius repetere, nos velle omnem ritum Ecclesiæ esse apostolicam Traditionem sine ullo delecto. Calvini lib. IV. Instit. cap. 10, §. 19. « Romanenses magistri extorquere volunt, » inquit, « ut nulla sit apud eos cæremoniola, quæ non pro apostolica censeatur. » At non hoc dicimus, sed eas tantum recipimus pro apostolicis, quas firmis testimoniis antiquorum probare possumus esse apostolicas. Deinde commune est iisdem sic agere, quasi ipsi Scripturas tantum, nos Traditiones tantum defendamus, neque curremus an Traditiones sint secundum Scripturam, an contra Scripturam : at non ita est ; nam Scripturam nos pluris facimus quam illi, nec ullam Traditionem admittimus contra Scripturam.

Sed Kemnitii mendacia singillatim enumeranda sunt. In examine igitur edito anno salutis 1566. ad IV. sess. pag. 68. et 69. dicit nos asserere : Deum constituisse ut doctrina Christi et Apostolorum non scriberetur in libris, sed tantum viva voce traderetur, et ipse postea pag. 185. asserit, Apostolos habuisse mandatum ut scriberent. Sed utrumque est mendacium, et veritas est in medio. Nullus enim Catholicorum docuit unquam, Deum constituisse ut novum Testamentum non scriberetur ; vel proferat Kemnitius auctorem, qui hoc dixerit. Sic enim Evangelistæ et Apostoli, nostra sententia, peccassent gravissime, scribendo : sed tantum dicimus, novum Testamentum præcipue in corde scribi debere, nec necessario exigere ut scribatur in libris.

Falsum quoque est, Deum mandasse Apostolis ut scriberent. Legimus enim Matth.

ult. mandatum ut prædicarent Evangelium ; ut autem scriberent, nusquam legimus. Itaque Deus nec mandavit expresse ut scriberent, nec ut non scriberent. Nec tamen negamus, quin, Deo volente, et inspirante, Apostoli scriperint quæ scriperunt ; aliud enim est aliquid facere Deo suggerente et inspirante, aliud eo aperte præcipiente. Et hoc modo intelligendus est Sanctus Augustinus lib. I. De consen. Evangel. c. ult., ubi sic loquitur : « Quidquid ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit. » Loquitur enim de imperio interno, quo Christus invisibiliter ut Caput membra sua movet ad varias actiones, quod imperium suggestio quædam et inspiratio potius, quam præceptum proprio dictum existimari debet.

Neque obstat, quod in Apocalypsi aliquoties legimus : *Scribe quæ vides* : jubetur enim Joannes scribere quosdam arcanas visiones, non doctrinam Evangelii, et præcepta morum de quibus nos agimus.

Deinde in fine disputationis de Traditione, pag. 420. sic ait : « Postremo multa monebit Lectorem et hæc observatio, quod Pontificii non verentur multa ad Apostolorum Traditiones referre, quæ ab aliis auctoribus Multo posterioribus instituta, et protecta esse, ex ipsis Pontificiorum Scriptoribus ostendi potest etc. » Hoc autem probat uendicium exemplis, quorum nullum caret mendacia.

Primum est ubi dicit : scripsisse Innocentium III. cap. cum Marthæ, extra de celebrat. Missar., plura quidem esse verba in consecratione calicis, quam Dominus in Evangelio dixerit : sed tamen illa haberi ex apostolica Traditione. « At, » inquit Kemnitius, « Scriptorum Pontificii annotarunt, a quibus Romanis Pontificibus illa verba adjecta sint. » Mendacium est. Nam Scriptorum catholici annotarunt quidem in reliquo canone, quis Pontifex quid addiderit ; at in verbis consecrationis nemo invenitur aliquid addidisse : nec est, qui in hac re contradixerit Innocentio.

Secundum mendacium : « Totum canonem Missæ, » inquit, « esse ex apostolica Traditione, si quis vel dubitare se ostenderit, anathemate percussur. » Mendacium est. Nam cum in canone fiat commemoratio multorum Sanctorum, quorum aliqui 200. annis post Apostolos fuerunt ; quis dubitare potest non totum canonem esse ex apostolica

Traditione ? vel dicat aperte Kemnitius, ubi legerit quod tam audacter affirmat. Non igitur locum canonem, sed summam, et præcipuam partem asserimus esse ex apostolica Traditione, cui postea summi Pontifices aliquid addiderint.

Tertium mendacium : « Alexander, » inquit, « aquam vino esse admiscendam in celebratione Eucharistiæ statuit. Idem aquam, et salem benedictum instituit ; igitur falso isti ritus ad Apostolorum Traditionem revocantur. » Mendacium. Audi enim Alexandri verba in epist. I. « Repulsis, » inquit, « opinionibus superstitionum, panis tantum, et vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. Non debet enim (ut a Patribus accepimus, et ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri. » Itaque verum est quod dicit Cyprianus lib. II, ep. 3. hanc esse divinam Traditionem. Alexander enim satis aperte significat, non a se incepisse hunc usum, cum se a Patribus accepisse dicat. De aqua etiam benedicta non dicit, si primum eam jussisse benedici, sed indicat, se facere quod est antiquæ consuetudinis. Sic enim ait : « Aquam, » inquit, « sale conspersam populis benedicimus, etc. » Itaque merito dicitur esse apostolica Traditio a Clemente lib. VIII. Apostolic. Constit. c. 35. et a B. Basilio lib. De Spiritu sancto, cap. 27.

Quartum est : « Telesphorus jejunium quadragesimale instituit. » Mendacium. Telesphorus enim in epistola sua non dicit, se instituisse Quadragesimam, sed tantum ut clerici ad solum jejunium omnium Christianorum adderent tres dies, id est, inciperent a carnibus abstinere in Dominica quinquagesimæ : « Cognoscite, » inquit, a nobis et a cunctis Episcopis in hac sancta et apostolica Sede congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici a carne jejurent. » Quibus verbis optime cohæret quod dicit Hieronymus in epistola ad Marcellam, de erroribus Montani, Quadragesimam ab Apostolis institutam Traditione non scripta.

Quintum mendacium : « Hyginus, » inquit, « Chrisma instituit. » Mendacium sine ullo fundamento. Nihil enim de Chrismate in epistolis Hygini invenitur : nec exstat apud alios tale aliquod decretum, nisi quod Gratianus de consecrat. dist. 4. can. In catechismo, affert decretum quoddam Hygini, quo statuit, unum et eundem esse posse eum,

qui suscipit baptismum, et qui confirmatum, id est, patrum, etsi melius sit, ut sint diversi. Itaque recte a Fabiano Papa in ep. 2. dicitur, Chrisma singulis annis renovandum, quod sic Apostoli instituerint.

Sextum est : « Calixtus jejunia quatuor temporum instituit ; ergo falsum est, quod sint ex apostolica Traditione. » Mendacium est, quod Calixtus omnia instituerit quatuor temporum jejunia : ipse enim in epist. I. dicit, se tantum addidisse unum jejunium ad tria, quæ antea erant. Quocirca quod sanctus Leo serm. 2. de jejun. Pentec., et serm. 8. de jejun. septimi Mensis dicit, illa jejunia esse ex apostolica Traditione ; non pugnat cum decreto Calixti.

Septimum est : « Sylvester confirmationem puerorum invenit. » Mendacium impudentissimum. Nihil enim tale de Sylvestro usquam legitur, et inveniuntur decreta Pontificum longe Sylvestro antiquiorum, de consecrat. d. 4. can. In catechismo, et can. Non plures, et d. 5. can. 1. 2. et sequentibus : ubi non ipsum Sacramentum, sed aliqui ritus circa ejus administrationem instituantur.

Octavum est : « Felix altarium consecrationem instituit. » Et hoc mendacium est. Constat enim Sylvestrum auctorem hujus ritus fuisse quod attinet ad altare lapideum et solemnem consecrationem : nam ante Sylvestrum Dionysius Areopagita scribit in lib. De Ecclesiastica hierarchia cap. V, p. 4. altaria debere inungi oleo et consecrari ab Episcopo. Videtur Kemnitius deceptum fuisse epist. 4. Felicis IV., ubi multa disputantur de consecratione altarium : sed nihil ibi instituitur novi, sed solum antiqui ritus explicantur.

Nonum est : « Felix IV instituit, ut infirmi ante obitum inungantur. » Mendacium solemne. Nam Marci VI, Apostoli ungebant ægros oleo. Et Jacobi V, præcipitur, ut Presbyteri ungant ægros oleo. Et Innocentius I. Felice IV. centum annis antiquior, in epistola prima, quæ est ad Decentium c. 8. Unionem infirmorum Sacramentum Ecclesiæ esse dicit.

Decimum est : « Siricius memoriam, et invocationem Sanctorum Missæ addidit. » Et hoc mendacium est. Nam Cyrillus Hierosolymitanus Siricio antiquior, in Catech. 3. mystag. : « Cum hoc sacrificium, » inquit, « offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriar-

charum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras etc.» Et similiter in liturgia Basilii, qui antiquior fuit Siricio, videmus fieri memoriam, et invocationem Sanctorum.

Undecimum est: « Pelagius memorias mortuorum anniversarias Missæ adiecit. » Et hoc mendacium est. Nam Tertullianus longe antiquior Pelagio Papa, lib. De Monogamia, meminit anniversariæ oblationis pro defunctis ex apostolica Traditione descendere.

His addamus mendacium duodecimum, ex libro, quem inscribit: *Theologiæ jesuitarum præcipua capita*: « Notabis », inquit Kemnitius, « hoc loco Lector, quam faciant Jesuitæ differentiam inter Traditiones Apostolorum scriptas, et inter eas, quas ipsi sub nomine Apostolorum configunt. Scriptas dicunt esse arbitrarías, confictas dicunt obligare sub periculo salutis ». Hoc mendacium tam insigne, inde collegit Kemnitius, quod Colonienses in libro contra Catechismum Monhemii scripserant illud: *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis* etc (1). Non significare præcepi vobis, sed docui vos: atque inde deduxerunt, ex eo loco non colligi, obligari laicos ad usum calicis in Sacramento altaris. Sed si illud *Tradidi vobis* non significat docui, sed præcepi; quis, quæso, sensus est? Quid sibi vult, *Ego tradidi vobis, quod Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem* etc. nonne hic historia narratur, et non lex constituitur? Itaque non dicunt Jesuitæ: Traditiones scriptas non obligare, sed dicunt obligare diverso modo. Quando Traditio est de doctrina Fidei vel re gesta, obligat ad credendum, non ad operandum, sicut Traditio de morte Christi. At quando est de morum præceptis, obligat ad operandum, quod idem et de non scriptis intelligendum est.

CAPUT IV.

Ostenditur necessitas Traditionum.

Nunc ut ad probationem veniamus, tria demonstrare conabimur. Primum, Scripturas sine Traditionibus nec fuisse simpliciter necessarias, nec sufficientes. Secundo Traditiones apostolicas, non solum de moribus, sed etiam de Fide reperiri. Postremo, qua via certi esse possimus de veris Traditionibus.

Primum probo ex variis ætatibus Ecclesiæ. Nam ab Adam usque ad Mosen fuit Ecclesia Dei aliqua in Mundo, et colebant homines Deum Fide, Spe, et Charitate, et externis ritibus, ut patet ex Genesi, ubi introducuntur Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham, Melchisedech, et alii homines justi, et ex Augustino lib. XI. Civit. Dei, et sequentibus, ubi deducit Civitatem Dei ab initio Mundi usque ad finem: at nulla fuit Scriptura divina ante Mosen, ut patet; tum quia omnium consensu Moses est primus scriptor sacer; tum quia in Genesi non fit mentio doctrinæ scriptæ, sed solum traditæ, Gen. XVIII, Scio, inquit Deus, quod Abraham præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini (2). Igitur annis his mille conservata est religio sola Traditione; non igitur Scriptura simpliciter necessaria. Quomodo enim conservari potuit antiqua illa religio sine Scriptura ad duo millia annorum, ita potuit doctrina Christi conservari sine scriptura ad mille quingentos. Deinde a Mose usque ad Christum per alia duo annorum millia, existiterunt quidem Scripturæ, tamen eæ solæ erant Judæorum, reliquæ autem gentes, in quibus etiam erat apud aliquos vere religio, et Fides, sola Traditione non scripta utebantur.

Nam quod, præter Judæos, multi alii ad Ecclesiam pertinerent, patet ex Job, et amicis ejus. Item ex Augustino, qui hoc constanter asserit lib. II. De pecc. orig. cap. 24. et lib. I. De prædest. Sanctor. cap. 9. et lib. XVIII. Civit. Dei, c. 47. et in ipso populo Dei, eisi Scripturæ exstarent, tamen

magis utebantur Judæi Traditione quam Scriptura, ut patet ex illo Exod. XIII. *Narrabis filio tuo in illo die dicens, hoc est, quod fecit Dominus etc.* Deuter. XXXII. *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi.* Job. VIII. *Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam.* Judicum VI. *Ubi sunt mirabilia, quæ narraverunt patres nostri?* Psalm. XLIII. *Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus quod operatus etc.* Psalm. LXXVII. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera: filii qui nascentur, et exurgent, et narrabunt filiis suis.* Eccles. VIII. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis* (1). Et tamen fuit Ecclesiasticus ex ultimis Scripturis Testamenti veteris.

Causa autem cur uterentur Hebræi magis Traditione quam Scriptura, videtur fuisse, quia usque ad tempora Esdræ, Scripturæ non erant redactæ ad formam librorum, ut facile et commode haberi possent, sed erant dispersæ in variis annalibus et chartis, et interdum ex negligentia sacerdotum longo tempore non inveniebantur, ut patet ex IV. Reg. XXII, ubi narratur tanquam novum quid, quod in diebus Josiæ fuerit inventum unum volumen Legis Domini in Templo. Esdras autem post captivitatem omnia collegit, et simul in unum corpus redegit, addens in Deuteronomio ultimum caput de vita Moysis, et quædam alia hinc inde ad historia continuationem. De quo vide Theodoretum præfat. in Psalm. Bedam in c. 9. lib. I Esdræ, et Petrum Antonium Beuter annotat. 9. de sac. Script.

Porro a Christi adventu per annos multos fuit Ecclesia sine Scripturis, ita ut adhuc suo tempore scribat Irenæus lib. III, cap. 4. fuisse Gentes aliquas Christianas, quæ solis Traditionibus sine Scriptura optime viverent. Igitur ex hac deductione satis apparet, Scripturas non esse simpliciter necessarias. Quod autem Chrysostomus dicit hom. I, in Matth., Scripturas non fuisse necessarias Patriarchis et Apostolis: tamen nobis propter hominum corruptionem esse necessarias; intelligitur de necessitate non simpliciter, sed ad bene esse, id est, de utilitate: nam alioqui etiam tempore Patriarcharum et

Apostolorum multi improbi fuerunt.

Quod autem Scripturæ non omnia ita contineant, ut sufficiant ipsæ sine alia Traditione, probo primo: quia vel totus canon Scripturarum simul sumptus est sufficiens, vel singuli libri per se sunt sufficientes. Non potest Kemnitius dicere, quod singuli libri per se sint sufficientes; nam tunc falsum esset quod dicit, Traditionis usum fuisse in Ecclesia usque ad complementum totius canonis Scripturarum. Præterea videmus, Evangelistas non singulos omnia continere. Nam Joannes nihil scripsit de Annuntiatione, Nativitate, Circumcisione, Epiphania Domini, et aliis multis rebus: idem de aliis dici potest. Item, si unus liber continet sufficienter omnia, quid opus fuit tot libris? Denique ipsi aperte dicunt, totum canonem esse necessarium ad hoc, ut sufficiens doctrina habeatur. At neque id vere affirmari potest. Nam multi libri vere sacri et canonici perierunt; igitur non habemus, nec habuimus a 1500 annis, sufficientem doctrinam, si tota sita est in Scripturis. Nam ex Testamento veteri multos libros periisse docet Chrysostomus hom. 9. in Matth. in illud, Nazaræus vocabitur: « Multa, » inquit, « ex Prophetis perire monumentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Judæi: nec desides modo, sed etiam impii, alia quidem perdidit negligentem, alia vero tum incenderunt, tum conecerunt. » Idem docet hom. 7. in priorum ad Cor. neque responderi potest, illa omnia quæ perierant fuisse reparata per Esdras: nam Chrysostomus vult probare, nunc non omnia exstare vaticinia Prophetarum, et probat, quia Judæi multa amiserunt.

Præterea Esdras non reparavit libros perditos, sed emendavit et collegit eos qui exstabant I. Paralip. ult: *Gesta autem David, inquit, priora, et novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis et in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis.* Et II Paralip. IX. *Reliqua autem opera Salomonis scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, et in libris Aie Silonitis, in visione quoque Addo Videntis.* Et lib. III Reg. IV. *Locutus est Salomon tria millia parabolas, et fuerunt carmina ejus quinque millia* (2). Ubinam sunt hæc omnia? Ex Testamento novo probabile

(1) I. Cor. XI, 23. — (2) Gen. XVIII, 19.

(1) Exod. XIII, 8; Dent. XXXII, 7; Job. VIII, 8; Judic. VI, 13; Psalm. XLIII, 1; Psalm. LXXVII, 3 et 5; Eccl. VIII, 11. — (2) I. Paralip. XXIX, 29; II. Paralip. IX, 29; III. Reg. IV, 32.

est periisse epistolam Pauli ad Laodicenses cujus ipse meminit aliquorum opinione, Colos. ult. et sine dubio aliam ad Corinth. cujus mentio fieri videtur I. Cor. V. in illis verbis *Scripti vobis in epistola* (1): et facile potest fieri, adhuc aliqua alia periisse. Viderint ergo heretici, unde resarcient tam insignem defectum.

Secundo, probatur hoc idem ex discrimine, quod est inter prædicationem, et Scripturam Apostolorum. Nam si Christo et Apostolis fuisset propositum verbum Dei coarctandi et restringendi ad Scripturam: in primis rem tanti momenti Christus aperte præcepisset, et Apostoli alicubi testarentur, se ex Domini mandato scribere, quemadmodum ex Domini mandato in toto orbe doctuerunt: at id nusquam legimus. Deinde, ad prædicandum viva voce non expectarunt Apostoli oblatam occasionem, vel necessitatem; sed sponte sua, et ex proprio instituto perrexerunt: at ad scribendum nonnisi necessitate, quadam coacti animum applicuerunt.

Matthæum, scribit Euseb. lib. III. hist. cap. 24. vel c. 48. in alia editione, ea occasione scripsisse, quia cum prædicasset Hebræis, et ad Gentes ire pararet, ut ille iudicavit, si iis, quos corpore deserebat, aliquid memoriale doctrinæ suæ et prædicationis relinqueret. Marcum, refert idem Euseb. lib. II. hist. cap. 45. nec sponte sua, nec a Petro (cujus discipulus erat) jussu, sed compulsu precibus Romanorum scripsisse Evangelium. Lucam, idem Euseb. tradit lib. III. histor. cap. 24. ideo solum scripsisse, quia viderat multos alios temere præsumpsisse ea litteris mandare, quæ non perfecte noverant, ut nimirum nos abstraheret ab incertis aliorum narrationibus.

Joannem, scribit idem Euseb. ibidem, usque ad extremam senectutem sine ulla Scriptura Evangelium prædicasse, et addit Hieronymum in lib. de Script. Eccles., tandem eum compulsu fuisse ab Asiæ Episcopis Evangelium scribere propter Ebonitarum hæresim tunc exorientem. Itaque nisi Ebonis hæresis exsistisset, Joannis Evangelium fortasse non haberemus, quemadmodum nec alia tria, nisi predictæ occasiones oblatæ fuissent. Recte enim, scribit Eusebius loco notato, solum duos ex Apostolis duodecim Evangelium scripsisse, et eos neces-

sitate quadam ad hoc provocatos.

Ex quo manifeste colligitur, Apostolos non de scribendo, sed de prædicando Evangelio primaria intentione cogitasse. Præterea, si doctrinam suam litteris consignare ex professo voluissent, certe Catechismum, aut similem librum confecissent. At ipsi vel historiam scripserunt, ut Evangelistæ, vel epistolæ ex occasione aliqua, ut Petrus, Paulus, Jacobus, Judas, Joannes, et in iis nonnisi obiter disputationes de dogmatibus tractaverunt. Denique, vel singuli Apostoli edidissent scriptam doctrinam Evangelicam, dum singuli haberent curam alicujus provincie, vel certe omnes simul congregati, antequam discederent, in suas provincias communem aliquem librum edidissent, sicut constat eos communiter Symbolum Fidei composuisse, quod tamen non scripserunt, sed viva tantum voce tradiderunt, ut docent B. Irenæus lib. III. cap. 4. B. Hieronymus in epist. ad Pammach. cont. error. Jo. Hierosolym. Et B. Augustinus lib. De Fide et oper. cap. 9. B. Ambrosius epist. 81. ad Siricum, B. Leo epist. 43. ad Pulcheriam, Rufinus et B. Maximus in exposit. Symb.

Probatur tertio ex multis, quæ ignorari non possunt, et tamen in Scripturis non continentur. At primum, tempore Testamenti veteris sine dubio non minus femine, quam viri remedium aliquod habebant, quo a peccato originali purgarentur; et tamen pro masculis instituta erat circumcisio secundum multorum opinionem, quid autem esset pro feminis, nusquam habet Scriptura.

Deinde, eodem tempore non est ullo modo credibile, non fuisse remedium ullum pro masculis morientibus ante octavam diem, quo solo poterant circumcidi, et tamen nihil exstat de hac re in Scriptura.

Tertio, gentiles multi salvari poterant, et salvabantur tempore Testamenti veteris, et vere ad Ecclesiam pertinebant, ut supra ostendimus; et tamen nihil prorsus de eorum justificatione a peccato originali, aliisque peccatis in Scriptura habetur.

Quarto, necesse est nosse, exstare libros aliquos vere divinos, quod certe nullo modo ex Scripturis haberi potest. Nam etiamsi Scriptura dicat, libros Prophetarum, et Apostolorum esse divinos, tamen non certo, id credam, nisi prius credidero, Scriptu-

ram, quæ hoc dicit, esse divinam. Nam etiam in Alcorano Mahumeti passim legimus, ipsum Alcoranum de celo a Deo missum, et tamen ei non credimus. Itaque hoc dogma tam necessarium, quod scilicet aliqua sit Scriptura divina, non potest sufficienter haberi ex sola Scriptura. Proinde cum Fides nitatur verbo Dei, nisi habeamus verbum Dei non scriptum, nulla nobis erit Fides.

Quinto, non satis est scire, esse Scripturam divinam, sed oportet scire quæ sit illa: id quod nullo modo potest haberi ex Scripturis. Quomodo enim colligemus ex Scriptura, Evangelia Marci et Lucæ esse vera, Evangelia Thomæ et Bartholomæi esse falsa? cum ratio potius dicat, magis credendum libro præferenti titulum Apostoli, quam non Apostoli.

Et unde colligam, epistolam ad Romanos esse vere Pauli, epistolam ad Laodicenses, quæ nunc circumfertur, non esse Pauli? cum utraque præferat titulum Pauli, et cum Paulus in epist. ad Coloss. cap. ult. dicat, se scripsisse ad Laodicenses, nusquam autem dicat, se scripsisse ad Romanos.

Sexto, oportet etiam non solum scire, qui sint libri sacri, sed etiam in particulari istos, qui sunt in manibus, esse illos. Non enim satis est, credere, Evangelium Marci esse verum, Evangelium Thomæ non esse verum, sed oportet etiam credere, hoc Evangelium, quod nunc legitur nomine Marci, esse illud verum, et incorruptum quod scripsit Marcus, quod certe ex Scripturis haberi non potest. Quomodo enim ex Scriptura colligam, hoc Evangelium non esse suppositum, ut dicitur Mahumetani, vel certe totum depravatum, ut dicebant olim Manichæi, et nunc Anabaptistæ?

Ad hæc tria respondet Calvinus lib. I. Instit. c. 7. §. 1. et 2. Scripturas sacras discerni a non sacris per se, ut lucem a tenebris, dulce ab amaro. At contra: nam si ita esset, cur Lutherus iudicaret epistolam Jacobi stramineam, et Calvinus Apostolicam? Ideo addit Calvinus ibid. §. 4. non omnibus apparere hanc differentiam Scripturarum, sed solum habentibus spiritum: nam etiam lucem a tenebris non discernit cæcus. At contra, nam Calvinus ibidem cap. 9. §. 1. contendit, Apostolos et primæ Ecclesiæ Fideles habuisse verum spiritum: sed illi iudicabant librum Sapientiæ esse sacrum, ut Augustinus testatur quem. De prædest. c. 14,

tamen librum Calvinus, qui etiam spiritum jactat, vult esse profanum.

Præterea, Veteres nno ore testantur, non aliunde nos habere Scripturam esse divinam, et qui sint libri sacri, quam ex Traditione non scripta. Sic apud Euseb. lib. VI. hist. cap. 10. Serapion rejicit quadam falso inscripta Petro, quia per Traditionem accepterat, nihil tale scripsisse Petrum. Et cap. 41. Clemens Alexandrinus secundum Traditionem sibi a senioribus commendatam, docet quæ sint vera Evangelia. Et cap. 48. Origenes: « Ex Traditione, inquit, didici de quatuor Evangelii, quod hæc sola etc. » Basilii quoque lib. De Spir. sanct. c. 27. dicit, si Traditiones non scriptæ negligantur, fore ut Evangelium etiam magnum detrimentum patiat. Denique, Augustinus lib. cont. ep. fundam. c. 3. clare dicit, se Evangelio non crediturum, nisi Ecclesia id præcipiat.

Sed instat Calvinus: fundamentum Ecclesiæ sunt Scripturæ Apostolorum et Prophetarum, Ephes. II. igitur non credimus Scripturas esse divinas ex Traditione Ecclesiæ, quia tunc fundamentum Scripturæ esset Ecclesia. Respondeo: Apostolorum non dicere, scripta Apostolorum et Prophetarum esse fundamentum, sed Apostolos et Prophetas. Isti autem non solum scripserunt, sed etiam ore tradiderunt, et docuerunt se scripsisse. Atque ita ex verbo Apostolorum non scripto, et per Ecclesiam nobis tradito cognoscimus, quod sit verbum Apostolorum scriptum. Sed de his diximus libro superiore.

Brentius igitur in Prolegomenis, non inveniens exitum, fatetur, hanc unam et solam Traditionem non scriptam esse recipiendam. Et idem docet Kemnitius, tractans secundum genus Traditionum, in Exam. Concil. Trid. At, si ita est, non igitur sola Scriptura sufficiens est, ut ipsi tam sæpe et tam serio docent: si enim destinatur hæc Traditione non scripta, et Ecclesiæ testificatione, parum proderit. Præterea si hæc Traditio ad nos pervenire potuit, cur non per eandem viam potuerunt etiam alia pervenire? Denique, vel hæc Traditio est verbum Dei, vel non: si non; igitur non habemus Fidem, Fides enim verbo Dei nititur: si sic, cur ergo clamant, nullum esse Dei verbum nisi scriptum?

Septimo, necesse est, non solum Scripturam posse legere, sed etiam intelligere: at sæpissime Scriptura ambigua et perplexa

(1) I. Cor. V. 9.

est, ut nisi ab aliquo qui errare non possit explicetur, non possit intelligi; igitur sola non sufficit. Exempla sunt plurima: nam aequalitas divinarum personarum: processio Spiritus sancti a Patre et Filio ut ab uno principio; peccatum originis; descensus Christi ad inferos, et multa similia deducuntur quidem ex sacris Litteris, sed non adeo facile ut si solis pugnandum sit Scripturae testimoniis, nunquam lites cum protervis finiri possint. Notandum est enim, duo esse in Scriptura, voces scriptas, et sensum in eis inclusum: voces sunt quasi vagina; sensus est ipse gladius spiritus. Ex his duobus primum habetur ab omnibus: quicumque enim novit litteras, potest legere Scripturas: at secundum non habent omnes, nec possumus in plurimis locis certi esse de secundo, nisi accedat Traditio. Et hoc forte dicere voluit Basilii de Spir. sanct. cap. 27. cum ait, sine Traditionibus non scriptis Evangelium esse purum nomen, id est, esse tantum voces et verba sine sensu.

Octavo credendum est, Beatam Mariam semper fuisse Virginem, contra errorem Helvidii, ut semper tota Ecclesia credit; et tamen nullum de hac re est in Scripturis testimonium.

Nono credendum est, in novo Testamento Pascha esse celebrandum die Dominico; nam haeretici habiti sunt ab Ecclesia antiqua Quartodecimani: et tamen nihil prorsus de hac re exstat in Scripturis. Idem dici posset de multis aliis.

Decimo credere oportet, et credunt nobiscum Lutherani et Calvinistae contra Anabaptistas, Baptismum parvulorum esse ratum: id autem ex solis Scripturis, nec Catholici probant, nec Lutherani probare ullo modo possunt. Nam illi existimant, Baptismum sine Fide actuali propria nihil valere, et propterea credunt, infantes dum baptizantur actu credere, id quod non solum Lutherus docet in cap. 3. ad Gal. et Kemnitius in Exam. sess. VII. Conc. Trid. sed et Synodus generalis Lutheranorum Württembergae habita definiit: at hoc nullo modo ex Scripturis probari potest. Ubi enim, quaeso, Scriptura indicat, infantes uti ratione ante usum rationis dum baptizantur? Hinc videlicet Anabaptistae Lutheranos redigunt ad miras angustias, et cogunt eos, velint nolint, ad Traditionem et usum Ecclesiae recurrere.

Undecimo credit Lutherus Purgatorium esse. Sic enim ait in assert. art. 37. « Ego tamen et credo Purgatorium esse, et consulo suadeoque credendum. » Et tamen in art. illo 37. assertit, Purgatorium non posse probari ex sacris Litteris.

Denique credunt omnes haeretici hujus temporis, nullum esse verbum Dei nisi scriptum: at hoc certe in tota Scriptura nusquam invenitur. Quod enim praecipue solent adferre ex Deuter. IV. *Non additis ad verbum quod vobis loquor nec auferetis ex eo* (1), nihil eos juvat, non enim dicit Moses *ex verbo scripto*, sed, *ex verbo quod loquor*.

CAPUT V.

Esse aliquas veras Traditiones demonstratur ex Scripturis.

Demonstravimus hactenus, Scripturas sine Traditionibus nec omnino necessarias, nec sufficientes fuisse: nunc quod secundo loco proposui ostendemus, esse videlicet aliquas veras Traditiones.

Ac primum colligi potest ex iis quae diximus. Nam si Scriptura non continet omnia, et necessarium est verbum traditum; sequitur, esse aliquod verbum traditum, aliqui Deus non bene providisset Ecclesiae. Secundo probatur testimoniis Scripturarum. Primum est Jo. XVI. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Et Jo. ult.: *Sunt autem et alia multa quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror Mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros* (2). Constat igitur, multa Dominum fecisse et dixisse, quae non sunt scripta. Nam istos libros qui exstant, una manus capere potest: Joannes autem dicit, totum Mundum non capere libros, qui scribendi essent. Et praeterea illa, quae promittebat Dominus se dicturum Jo. XVI. dixit hand dubie post resurrectionem suam, ut Lucas testatur Actor. I. *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei* (3). At de gestis et verbis Domini post resurrectionem paucissima scripserunt Evangelistae. Non autem est ullo modo credibile, Apostolos qui illa viderant

et audierant, non tradidisse Ecclesiae, nec enim invidi, aut obliviosi erant, ut nolent, aut non possent ea dicere.

Respondet: etiamsi non sint scripta omnia, quae dixit, aut fecit Jesus, esse tamen scripta omnia necessaria. Sed hoc jam est refutatum: multa enim necessaria non sunt scripta, et praesertim de Sacramentorum institutione, quae sine dubio Dominus tradidit in illis diebus quadraginta.

Secundum testimonium est, I. Cor. XI. ubi Paulus duas quaestiones tractat, unam de modo orandi in Ecclesia, alteram de modo sumendae Eucharistiae. Primam exorditur a Traditione: *Laudo, inquit, vos, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, praecipua mea tenetis* (1). Ista enim praecipua, de modo orandi, nusquam scripta inveniuntur. Et aperte Chrysostomus et Theophylactus notant hoc loco, Apostolum loqui de praecipuis non scriptis; nec non Epiphanius haeres. 61. quae est Apostolorum, et Basilii lib. de Spir. sanct. c. 29. et Damasc. II. Thessal. cap. 2. §. fin. Deinde, quia adhuc aliquid deerat praecipuis traditis, addit, ut etiam hoc servent, ut viri in Ecclesia orent capite aperto, mulieres capite velato. Et ut ostendat multum tribuendum esse Traditioni et consuetudini Ecclesiae, etiam sine scripto, concludit: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiae Dei* (2). Itaque vult reprimi contentiosos ex Ecclesiae consuetudine.

Alteram, questionem exorditur etiam a Traditione: *Ego enim, inquit, accepi a Domino, quod et tradidi vobis*. Et concludit: *Cetera cum venere disponam* (3), quid autem disposuerit, nusquam scriptum invenitur. Merito autem censent Catholici, cum non solum disponisse quae ad ritus et caeremonias pertinebant, sed etiam tradidisse alia graviora, ut de Ordinatione ministrorum, de sacrificio altaris, de aliorum Sacramentorum forma et materia; nec haeretici possunt ullo modo contrarium ostendere.

Tertium testimonium est II. Thessal. II. *Itaque fratres, tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (4). Ad hunc locum respondent duobus modis Kemnitius et Hermannus. Primo dicunt: Apostolum eadem tradidisse prius sermone deinde epistola, et ideo non loqui

de Traditione non scripta. At ridicula est expositio. Primo, quia illa particula disjunctiva *sive* aperte indicat, diversa esse quae traderat, et quae scripserat. Secundo, quia si ita esset, deberet epistola una ad Thessalonicenses continere omnem doctrinam, quam Apostolus illis predicaverat. Sine dubio autem totum Evangelium plene illis praedicaverat, ut etiam colligitur ex cap. I. et II. prioris epistolae; deberet igitur illa epistola complecti totum Evangelium: non autem continet centesimam partem, ut patet.

Secundo respondet: Apostolum hic loqui de sermone, quem ore pronuntiaverat, et quem ipse non scripserat, sed qui tum scriptus erat, vel fuit postea ab Evangelistis. Apostolus enim ut ipsi dicunt, nihil prorsus docuit, quod non sit alicubi scriptum in novo Testamento. Cui solutioni subscribit etiam Brentius in Prolegom. At contra. Nam primo, in hoc ipso capite Apostolus dicit, se illis praedicasse de Antichristo, et praeter alia, docuisse quando esset venturus: *Et nunc, inquit, quid detineat scitis*. Et, *Num retinetis, quod cum essem apud vos, haec dicebam vobis* (5)? Hoc autem nusquam scriptum est, quando scilicet sit Antichristus venturus. Quare B. Augustinus lib. XX. cap. 10. Civit. Dei dicit, illos scrivisse quod Apostolus docuerat viva voce: nos autem non posse id scire, qui Apostolum non audivimus; ergo non omnia scripta sunt, quae Apostolus dixit. Praeterea, sive scripta postea fuerint, sive non quae Apostolus docuerat, non multum refert quantum ad argumentum, quod ex hoc loco colligimus. Nam Apostolus non promittit se, vel alium ea scripturam, quae ore traderat, sed simpliciter praecipit, ut non minus observent, quae acceperant sine scripto, quam quae per epistolam. Et hoc modo hunc locum Veteres intellexerunt.

Basilii lib. De Spir. sanct. cap. 29. « Arbitror Apostolicum, » inquit, « esse, etiam non scriptis Traditionibus inherere. Laudo, inquit, vos, quod omnia mea meministis, et quemadmodum tradidi vobis, Traditiones continetis. » Et, « Tenete Traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam. » Chrysostomus in hunc locum: « Hinc patet, » inquit, « quod non omnia per epistolas tradiderint, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam illa,

(1) Deut. IV. 2. — (2) Joann. XVI. 12; et Joann. XXI. 25. — (3) Act. I. 3.

(1) I. Cor. XI. 2. — (2) Ibid. 16. — (3) Ibid. 23 et 34. — (4) II. Thessal. II. 14. — (5) Ibid. 5 et 6.

quam ista. » Iisdem vero verbis utantur Oecumenius et Theophylactus hoc loco, quibus accedit Damascenus lib. IV. De Fide c. 47. « Quod plurima, » inquit, « Apostoli tradiderint sine scripto, scribit Paulus: Ergo, fratres, state et tenete Traditiones, quas edocti estis sive per sermonem, sive per epistolam. » Eodem modo exponit VIII Synodus generalis Act. ult. can. 1.

His quinque Patribus, qui discrete exponunt hunc locum pro nobis, objicit Hermannus alios quinque, Hieronymum, Ambrosium, Primasium, Theodoretum, et Anselmum in hunc locum, quos dicit contra nos exposuisse. Sed respondeo: Commentaria illa in epistol. nomine Hieronymi inscripta non esse Hieronymi, sed Pelagii heretici, ut B. Augustinus docet libr. III. De peccat. merit. et remis. cap. 4. 3. et 42. et ipsa verba Commentarii in cap. 6. 7. 8. et 9. ad Rom. clamant, auctorem esse Pelagium.

Deinde nec Pelagius in hac re est contra nos, solum enim dicit: « Quando, » inquit, « sua vult teneri, non vult extranea super addi: apostolica autem Traditio est, qua in toto Mundo predicantur Baptismi Sacramenta. » Quid hic est contra nos? Admittimus enim, non esse addenda extranea, id est, aliena, et supposititia Pseudo-Apostolorum commenta ad vera Apostoli dogmata. Quod autem sequitur, pro nobis est. Nam ideo dixit Pelagius, Baptismi Sacramentum esse Apostolicam Traditionem, non Baptismi Sacramentum quia noverat multa esse mysteria circa Baptismum, quae servantur in Ecclesia ex Traditione Apostolorum non scripta, ut exorcismum, exsufflationem, unctionem etc.

Primasius quoque est pro nobis, nam ponit in primis quasi ad verbum Pelagii expositionem, de qua jam diximus, et addit, loqui Apostolum non solum de Sacramentis Baptismi, sed etiam de iis Traditionibus, quae toto Mundo observantur, et quae propterea Apostolicae esse dignoscuntur. Hermannus putat, eum loqui de Evangelio scripto, quia toto Mundo servatur: sed advertere debuit, multa etiam non scripta toto Mundo servari, ut festa Natalis, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, ut Augustinus docet in ep. 118. Praeterea cum dicit Primasius, loqui Apostolum de illis Traditionibus, quae dignoscuntur Apostolicae, quia toto Mundo ser-

vantur, sine dubio loquitur de non scriptis. Ipse enim, quippe qui discipulus est Augustini, noverat regulam Augustini esse in eadem epist. 118. quae toto Mundo servantur, etiam scripta non sint, ex Apostolica Traditione servari.

Ambrosius neque est contra nos, neque pro nobis: solum enim dicit, Apostolum hoc loco monere, ut perseveremus in doctrina Evangelii: nihil autem dicit de scripto, vel non scripto. Anselmus est potius pro nobis; sic enim exponit: « Tenete in corde, et operibus Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem nostrum, dum essemus praesentes, sive per epistolam quam vobis misimus absentes. » Quid hic est contra nos: quid non potius pro nobis?

Denique Theodoretum etiam existimo esse pro nobis, sic ille ait: « Habetis, » inquit, « doctrinae regulam, sermones quos vobis tradimus, quos et praesentes vobis praedicavimus, et absentes scripsimus. » Hunc locum pro se facere dicit Hermannus, quia Theodoretus videtur indicare, Apostolum eosdem sermones scripsisse, quos antea praedicaverat: sed falso hoc dicit Hermannus. Verba enim Theodoretii possunt etiam intelligi de diversis sermonibus, hoc modo: « Habetis doctrinae regulam sermones quos, id est, illos quos praedicavimus, et illos quos in epistola scripsimus. » Hunc autem sensum esse magis ad mentem Theodoretii patet, tum quia est conformior expositioni Chrysostomi, quam ubique sequi solet Theodoretus, tum etiam quia prior sensus est falsus, cum certum sit, non omnia in illa epistola scripta esse, quae Apostolus ore praedicavit. Manet igitur in suo robore argumentum nostrum ex isto loco Pauli.

Quartum testimonium est I. Timoth. ult. : *O Timothee, depositum custodi. Et II. Timoth. I. Formam habe sanctorum verborum, quae a me audisti. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Et cap. II. Tu ergo, fili mi, confortare in gratia quae est in Christo Jesu, et quae audisti a me per multos testes, haec commenda Fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere (1).*

In his locis nomine depositi non potest intelligi Scriptura, sed thesaurus doctrinae, intelligentia dogmatum divinarum, id est, tam sensus Scripturarum, quam aliorum dogmatum, quam toto doctrinam propagari vo-

(1) I. Timoth. VI, 20; II. Timoth. I, 13; ibid. II, 1 et 2.

lebat per Traditionem, ut explicant Chrysostomus et Theophylactus in hunc locum; quo alludit etiam Irenaeus lib. III, cap. 4, cum ait: « Apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in Ecclesiam contulerint omnia, quae sint veritatis. » Et lib. IV, cap. 43. « Quapropter, » inquit, « eis qui in Ecclesia sint Praesbyteris obaudire oportet his, qui successione habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione Christum veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt. » Et facile ex ipsis verbis colligitur. Nam si loqueretur de verbis scriptis, non tam anxie commendaret depositum, Scripturae enim facile conservantur in thesauris, et a Librariis: Apostolus autem vult servari per Spiritum sanctum in pectore Timothei. Et deinde non adderet: *Haec commenda Fidelibus, qui idonei erunt et alios docere*: sed diceret, *commenda Librariis, ut multa exempla transcribant*. Nec diceret: *Quae audisti a me per multos testes, sed quod scripsi tibi*. Itaque non verba solum, sed etiam sensum, ac multo magis hunc, quam illa Timotheo Apostolus commendat, ac ut per manus tradat successoribus suis jubet. Vide de hoc loco Commemorator. Vincentii Lirinensis. adversus profanas vocum novitates.

Ultimum testimonium II et III, epist. Joannis *Plura habens scribere vobis, nolui per chartam, et atramentum, etc. (1)*. Ex his enim intelligimus, multa ab Apostolo Joanne dicta esse discipulis, et per discipulos Ecclesiae universae, quae tamen scripta non sunt.

CAPUT VI.

Idem ostenditur testimonium Pontificum et Conciliorum.

Ad loca Scripturarum addemus paucam quaedam veterum sanctorum Pontificum et Conciliorum testimonia. Ac primum, S. Fabianus Papa et Martyr. in epist. 2. ad Episc. Orient. ut habetur de consecr. dist. 3, c. Litteris, posteaquam docuerat, singulis annis sacrum Chrisma renovandum esse, ita subjunxit: « Ista a sanctis Apostolis, et successoribus eorum accepimus, et vobis te-

nenda mandamus. » Haec ille. Et XI, certe de Chrismate renovando nihil in sacris Litteris legimus.

S. Innocentius I, in epist. I, quae est ad Decentium: « Si instituta, » inquit, « Ecclesiastica, ut sunt a beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipsis Ordinibus et consecrationibus haberetur. » Haec ille. Ubi de Traditionibus non scriptis agit, ac praesertim cap. 3, cum docet, Confirmationem etiam parvulis conferendam, et a solo Episcopo, et sub certa forma verborum; atque adeo non scriptas ejusmodi Apostolicas Traditiones esse testatur, ut nec in ea epistola formam illam verborum adscribere voluerit: « Verba, » inquit, « dicere non possum, ne magis proderet videre, quam ad consultationem respondere. »

Sanctus Leo I, serm. 6, de Quadrag. : « Apostolica, » inquit, « institutio quadraginta dierum jejunii impletur. » Et serm. 2, de jejun. Pentec. : « Dubitandum non est dilectissimi, omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinae, et quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de Traditione Apostolica et de S. Spiritu prodire doctrina. » Vide etiam ser. 8 et 9, de jejun. sept. mens.

Jam vero Concilium antiquissimum et celeberrimum Nicaenum I, ex doctrina non scripta damnavit haeresim Arii, ut discrete testatur Theodoretus lib. I, hist. cap. 8. Eisi enim quaedam Scripturae poterant adferri contra Arium, tamen quia Arius etiam proferebat Scripturas; ex doctrina non scripta, sed tradita per manus Patrum sibi in Ecclesia succedentium eum damnaverunt.

Nicaenum II, act. VI, tom. 4. « Praeterea, » inquit, « cum multis, quae nobis sine scripto tradita sunt, etiam imaginum factio in Ecclesia ab Apostolorum predicatione dilatata est. Et act. VII. in fine sic habet: Si quis omnem Traditionem Ecclesiasticam, sive scriptam, sive non scriptam irritam facit, anathema sit. » Idem reperitur in Concilio VIII generali, act. VIII, et post act. ult. can. 1, profitentur Patres, se servaturos omnes Traditiones, non solum Apostolicas, sed etiam Ecclesiasticas. Ex quo mirum videri non debet Lutheranis, si tale aliquid etiam docuit Concil. Trident. sess. IV, nihil enim novi statuit.

(1) I. Joan. 12; et III, 13.